

à solo Patre : nulla profectò excogitari posset ratio, cur Filius, & non Spiritus sanctus pro secunda Persona agnosceretur.

Atqui verò talis ordo inter Personas, tum in Formula Baptismi nostri est sancitus, tum postea in Symbolis, Apostolico, Niceno, Athanasiano traditus, ut Pater prima sit persona: Filius secunda: Spiritus sanctus tertia: Ergo consequens fuerit, τὰξιν istam oriri vel ex inequalitate Essentiae, vel ex personali origine. Prius illud est blasphemum, & Arianismum plenis velis in Ecclesiam revocat. Posterius igitur pro rato habendum, nempe ordinem istum ex personali origine existere, qui est, ut Pater in Sacrosancta Divinitate sit Persona prima, quia à nullo: Filius secunda, quia à solo Patre: Spiritus sanctus tertia, quia ab utroque.

64. VI. Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, omnīs planè personalis nexus & relatio inter Filium & Spiritum sanctum tolleretur. Requirit verò absoluta Trinitatis perfectio, ut Personæ suis productionum respectibus & hypostaticis relationibus sic omnes ad se mutuò, adeoque singule ad singulas sint devinctæ: ut Pater quidem referatur hypostatica relatione ad Filium, tanquam ad Genitum: Filius ad Patrem, ut progenies ad suum Genitorem: Pater ad Spiritum sanctum, ut προβολεύς sive spirans ad suum Spiraculum: Spiritus sanctus item ad Patrem, tanquam suum προβολέα sive spiratorem.

Relin-